



42 47

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
SISTENS

**HISTORIAM
MORBORVM HYEMIS
PRAETERITAE**

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

**D O M I N O
GVILIELMO HEINRICO**

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE
VVESTPHALIAE, ET CETERA

AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE
VIRO MAGNIFICO

HERM. FRIDER. TEICHMEYERO

PHILOSOPHIAE AC MEDICINAE DOCTORE, ANATOMIAE, CHIRVRGIAE ET
BOTANICES PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, SERENISSIMI DVCS SAXO-
ISENACENSIS CONSILIARIO, CELSISSIMAE S. R. I. COMITIS DE HATZFELD ET
GLEICHEN ARCHIATRO, ET MEDICO PROVINCIALE, NEC NON ACA-
DEMIAE SCIENTIARVM BORVSSINAE SOCIO

PATRONO, PRAECEPTORE ET FAVTORE PIE COLENDO

PRO GRADV DOCTORALI

EIQVE ANNEXIS HONORIBVS, IVRIBVS ET PRIVILEGIIS
IN ARTE MEDICA

LEGITIME MORE MAIORVM CONSEQVENDIS
PVBLICO ET BENEVOLO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS

IOH. HENR. GIESELER, CRANNICHFELDENS.

AD DIEM *IVN. MDCC XXVIII.*
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

IENTAE, EX OFFICINA MVLLERIANA.



LIBRARY OF THE
HISTORICAL
MUSEUM OF THE
CITY OF
MUNICH
GULDMANNSPLATZ
MÜNCHEN
VERMÄHRTE
BIBLIOTHEK
DES
KÖNIGLICHEN
HISTORISCHEN
MUSEUMS
ZUM
GULDMANNSPLATZ
MÜNCHEN





PROOEMIUM.

P

Er extraordinarium, atque in excessu peccantem calorem aestiuum, per durissima frigora hyemalia, sruissimosque ventos boreales, per nebulas humidias infalubres, nociuis, ingratissimis foetidisque effluuiis impraegnatas, natiuam coeli & aëris salubritatem interdum labefactari, atque inde communes, seu epidemicos morbos proficisci posse, monumenta sapientissimorum scriptorum rei medicæ non tantum docent, sed & quotidiana experientia id ipsum abunde confirmat.

Hoc nobis, qui saluberrimam terram Ienensem incolimus, in fine præteriti, & principio præsentis anni quoque contigisse, norunt illi in primis, qui medicinam exercent, & rerum naturalium studiis incumbunt. Nonnulli enim morbi hyemales irreperferunt, aliquot hominibus fatales. Cum vero fama de mor-

A 2

bis

bis his, in vrbe & agro Ienensî grassantibus, tam varia, tamque falsa, peruersa atque iniqua diuulgauerit, ideo hæc nobis ansam dederunt, præcipua, quæ ad historiam harum febrium pertinent, atque a nobis in diuersis subiectis sollicitè sunt obseruata, rimari, hoc est, phaenomena, atque eorum rationes causasque & curam, omni sedulitate, & concisa breuitate, speciminis inauguralis loco perscrutari. Quod vt feliciter cedat, faxit supremum æternumque in cœlis Numen.

Th. I.

Primarius morbus ciuitatis & agri Ienensî erat febris epidemica, in paucissimis petechialis, in aliis miliaris & purpurata, rubra & alba. In quibusdam apparebant variolæ atque morbilli, alii incidebant in pleuritidem spuriam, alii in veram, alii in peripneumoniam. Nonnullos cruciabant febres catarrhales, tussis, coryza, grauedo, dolor articulorum, atque vaga arthritis. Annotauimus quoque in diuersis subiectis febres intermittentes, cum vehementi paroxysmorum reditu, & quidem tales, quæ mixtæ vocantur, & quarum cursus in perpetua & concatenata paroxysmorum serie consistebat. Omnes vero hi morbi, vt Medicis notum est, nequaquam sunt extraordinarii, sed consueti atque communes, tempore hyemali solennes atque frequentes.

§. II.

Initia horum morborum se manifestarunt plerumque per tristitiam, lassitudines, membrorumque grauitates, appetitum prostratum & imminutum, nauseam, dolores capitis & dorsi, pandiculationes, horripilationes, horrores, rigores, cum subsequenti calore aucto, præternaturali & æstu. His positis, in nonnullis subnectebatur hæmorrhagia narium; in aliis diarrhoea, cum ingenti abdominis dolore atque

que torminibus colicis: In aliis sponte vomitus sunt excitati: In nonnullis durante capitis dolore, lachrymæ ex oculorum angulis sponte effluebant & exstillabant: Aliis nares erant obstructæ, & per calorem febrilem exsiccatae, imo plane clausæ, ita, vt aperto ore spiritum ducere & respirare fuerint coacti, cum notabili faucium, linguæ, & palati siccitate, nigredine, labiorumque fissuris: In quibusdam iungebatur angina, tonsillarum, vuulæ, laryngis & pharyngis, maior, vel minor, inflammatio. Aderat grauitas & anxietas præcordiorum, respiratio difficilis, tussis dolorosa, dolor punctorius dextri, vel sinistri lateris, cum sputo in principio mucoso, atque sanguine tincto, deinceps purulento & coenoso subsequente: In paucissimis prodierunt in conspectum veræ petechiæ, nempe maculæ rubicundæ, ad instar puncturarum pulicis, sed sine centro, nunquam vero nigrae & piperitæ sunt obseruatae. Nullus vnquam, vt maleuoli & scelestissimi homines diuulgarunt, carbunculus, nulla vibex, nullus bubo apparuit, nunquam etiam vno impetu, vnoque temporis quasi momento, homines interierunt, sed successiue, atque in morborum statu, postquam decuberunt per sex, nouem, vel quindecim dierum cursum, quo tempore increuerunt symptomata funesta, ingens capitis & dorsi dolor, ineffabilis lassitudo, agrypnia, sitis aucta, vrina flammea, cum deliriis, conuulsionibus, pulsu irregulari, intermittente, sudoribus frigidis, affectibus soporosis, lethargo, lipothymia & syncope, quæ omnia inflammationum internarum ex feбри, quæ altas radices egerit, certissima erant indicia. Iam dicta ideo confirmant, epidemiam hanc prosapiam fuisse diuersorum morborum hyemalium.

Th. III.

Hæc epidemia nonnullos non tantum ciues oppidanos, sed & academicos inuasit atque suppressit. Ve-

A 3

run.

tantamen neque ægrotantium, neque defunctorum numerus tantus fuit, quantum malevoli diuulgarunt, neque omnes decumbentes quoque perierunt, sed maxima pars ægrotantium per Dei gratiam remediis, ex arte medica rite depromtis, & cito ac in tempore adhibitis, ad pristinam & prosperam redierunt valetudinem. Quibus autem epidemia hæc fuit fatalis, plerumque erant vel homines tenerioris ætatis, vel tales, qui fortassis propter diætæ errores impuritates humorum sibi contraxerant, & quorum massa corporea ita ad facilem corruptionem erat disposita, illi autem, qui secundum normam & diætæ regulas vixerunt, qui salubriter sunt nutriti, qui aeris ambientis algorem euitarunt, minoremque externorum aereorum salium copiam ita imbiberunt, liberamque æquabilem & constantem transpirationem conseruarunt, aut ab omni penitus morborum insultu immunes manserunt, aut leuissimos saltem passî sunt. Hoc indicauit HIPPOCRATES, * qui refert quod in algida quadam aeris constitutione muliebris sexus a communi morbo fuerit exemptus, & rationem addit, non contemnendam, quia nempe non similiter, veluti viri, prodierunt. Ast præfenti tempore aliud decorum, aliaque viuendi ratio, quam tempore Hippocratis, obseruatur. Etenim pulchior sexus haud secus ac virilis negligit diætæ regulas, & hyberno tempore, sicut viri, imo interdum sapius prodire solet, male in primis & negligenter tecto, neque a frigore munito fatis corpore. Mirum ideo non est, si sexui muliebri hæc epidemia magis fere, quam virili fuerit exitiosa.

* Sexto Epidemicorum, seu morborum popularium, sectione septima, Thef. 31.

Th. IV.

Horum morborum hyemalium causas tres potissimum vniuersales extitisse putamus. Quarum prima est conta-

contagium, secunda praeteriti autumnii clementia, tertia hyemis subsequens rigor, ac salia ex borealibus locis simul allata. Sunt quidam, qui nullum contagium, nullam malignitatem, nulla fermenta morbifica in morbis admittere volunt, & modo malignitatem deriuant a terrore & metu, vel illam quærunt in principio quodam formali, motu nempe determinato, praeternaturali & specifico, fluidorum vitalium, in specie sanguinis, non autem in materiali.* An vero horum sententiæ sit subscribendum, merito dubitamus? Non quidem negamus, quod mens sana, tranquilla, constans atque intrepida multum conferat ad conferuandam corporis nostri sanitatem, contra vero affectus terrifici producant morbos, productosque augeant, dum status fluidorum, & motus solidorum turbantur, id quod dudum celeberrimi scriptores probarunt,** Interim tamen in morbis epidemicis semper simul concurrere debet atque adesse contagium, tanquam causa communis, quam admittunt & concedunt omnes cordati Medici.***

* Huc pertinet Celeberrimus quondam Lipsiensium Professor, RIVINVS, qui, in *Dissertatione de Peste*, pestem vniue a terrore, timore & metu, non vero a contagio, derivat, suamque sententiam, Cap. II. de causa pestis, a §. 7. vsque ad 23. variis, notatu dignissimis, exemplis ac obseruationibus confirmare studet, imo §. 14. sancte testatur, se nullum vidisse in peste Lipsiensi agrum, qui non a terrore eam contraxerit. Eandem sententiam fouet BARTHOLDVS FLORIANVS GERSTMANNVS, in *Tumulo pestis*, haecenus veneni metu, vt loquitur, ocluso, nunc per principia recentiorum, per rationes, per sanam experientiam & exempla aperto, & innoxio demonstrato. Scopus huius tractatus vniue est, demonstrare, pestem non esse contagiosam, sed oriri tantum ex terrore ac imaginatione, atque his solummodo propagari.

** Vide B. Dn. D. CHRISTIANI IOANNIS LANGII *Dissertationem de Mortuis ex animi commotionibus*. It. de *Animi commotionum vi medica*. Celeberrimi HOFFMANNI *Dissertationem de Animo sanitatis & morborum fabro*. Celeberrimi STAHLII *Dissertationem de Passionibus animi, corpus varie alterantibus*.

*** DEVSINGVS, in *Disquisitione de Peste*, inquit, certissimum esse, uenienem

neminem corripere peste, nisi ex commercio cum hominibus, aut rebus infectis, ergo ex contagio. Hanc sententiam nos quoque amplectimur, & ideo circumspectionem & cautionem in morbis malignis commendamus, quoniam infinita exempla probant, absque terrore & omni praeiudicio affectu, per solum contagium pestem fuisse propagatam. Quod & testatur pestis turcarum. Turcae enim non negant contagium, sed venenum pestiferum non reformidant, hincque dicunt, si mori fatum sit, contagium frustra declinari, sin contra, stulte illud metui. Hoc testantur BVSBEQVVS & DRIESCHIVS, in der Historischen Nachricht von der Römisch-Kaiserlichen Groß-Beyschafft nach Constantinopel.

Th. V.

Contagii itaque materialis existentiam confirmat pestilentia, quae de loco in locum transfertur, hominibus etiam insciis, cum rebus promercialibus, malignis effluviis contaminatis. Hoc factum est nuperime, ante aliquot annos, in Gallia, in eius celebri emporio, vrbe Masiliensi, in quam pestis per res promerciales ex Sidonia Syria adlata, non tantum hanc, sed & Tolosanam ciuitatem deuastauit. Fermentorum morbificorum determinatam vim, & veram atque realem existentiam porro probat iam vbique nota infectio & inoculatio variolarum, atque earum per transplantationem excitandi methodus, olim modo in regionibus orientalis vtitata, praesenti seculo vero varia in Europa regna atque prouincias, introducta, & salutari euentu confirmata.*

* De hac methodo scripsit Dn. D. EMANVEL TIMONIVS. In primis autem IACOBVS PYLARINVS, Medicus nationis Britannicae in vrbe Smyrneni celeberrimus, de ea edidit fere primum opusculum, mole quidem paruam, eruditum tamen, ac humano generi perutile, Venetiis, MDCCXV. In Anglia de ea scripsit Dn. D. MAITLAND. In Germania Dn. D. & Prof. Wittebergensis celeberrimus, VATERVS, iunior, & Dn. WREDENIVS, Anatomicus & Chirurgus Hannoueranus eruditissimus.

Th. VI.

Est vero nobis contagium venenum quoddam subtile eua-

evaporabile, multiplicabile & destructivum, quod ab uno homine in alium translatum, similes ibi morbos praestat, sive, ut celeberrimus VERDRIESIVS * loquitur, venenum, quod exigua mole, in partes tenuissimas resolvable, partes corporis humani & animalium, cum fluidas, tum solidas, efficacissima actione aggreditur, eorumque concentum & harmoniam vitalem motuumque vitalium ordinem pervertit. Tale venenum contagiosum determinatum atque specificum in variis morbis chronicis atque acutis observatur. Est enim non tantum pestilentiale in peste vera, sed & in aliis morbis acutis, v. gr. in petechiis, variolis, morbillis, dysenteria, venereum in morbis venereis, scabiosum in scabie, eiusque generibus, lepra, psora, tinea, phthysicum in phthysi, (nam phthysis est contagiosa, teste B. WEDELIO **) furiosum in rabie canina, per morsum canis rabidi illatum. Communicatur tale contagium per immediatum contactum, per accubitum, per oscula, per suppellectilia, per merces, per vestimenta, per alimenta esculenta & potulenta, per instrumenta chirurgica, quibus omnibus venenum adhaerere potest, in primis autem per salivam & sudores, in quibus liquoribus salia illa deleteria & destructiva delitescunt. Si enim quaeritur, in quo consistat natura contagii? respondendum sane, quod sit sal quoddam volatile, destructivum, ad acidam ut plurimum naturam accedens, *** quod propter volatilitatem suam ab uno corpore separatum, aeri permixtum, etiam aliorum corporum, proxime adstantium, poris sese insinuare, cum illis coniungi, & interdum ibi satis diu quiescere potest. Si vero corpora, quae receperunt eiusmodi salia contagiosa, aeri liberi exponuntur, expirat & avolat illud, per constantem aeris & aetheris motum. Hoc est fundamentum quoque, quare quadragesima, (die *Guarantene*) rebus atque hominibus suspectis ad quadraginta dierum spatium apud Venetos est destinata.

* In disquisitione Pathologica - Therapeutica de Veneno canis, & animalium rabidorum, Th. I.

** In Exercitationibus Semiot. Patholog. Cap. XXVIII. pag. 67.

*** Similem sententiam fovet Regis Poloniarum quondam Medicus, BERNHARDVS CONNOR, vir singularis eruditionis, in Tractatu medico-physico, Oxonii edito MDC XCV. de *Anvris lebisivis*, pag. 20. ubi inquit: Quidquid hæctenus de virulenta scrobium materia dictum est, ad pestis quoque naturam reduci potest. Pestiferum enim virus salinum est, & quando ex terræ effluviis ortum desumit, de vitrioli, vel aluminis, nitri, vel sulphuris mineralis, salis armoniaci, vel arsenici indole participat; in sanguinem quoque eodem profus modo sævit, quo sævire solent venefica cryptarum feralium miasmata, cum illo duntaxat discrimine, quod hæc in determinato semper loco infestent, ac proinde minorem mortalium numerum et medio tollant, illud vero e-*ssim* terræ copiosius eiectum, per urbes integras, provincias & regna cum vehiculo aereo latius serpit, & cum maiori hominum & brutorum strage triumphat; quoad cætera fermentum pestis non secus, ac antrorum Charoneorum virus, strictiori coagulationis vinculo sanguinis principia vel colligat, vel nimio dissolutionis fluore referat.

Th. VII.

Contagium, sive vis virulentæ morborum, non tantum hic, sed & alibi in vicinis Thuringiæ & Misniæ locis grassantium, sine dubio per aerem in nostram regionem est translatum. Observavit enim Dn. PRAESES ante XX annos, anno nempe nono huius sæculi, quo anno extraordinarius, & per hominum ætatem inauditus frigoris gradus per totam Europam fuit adnotatus, similes morbos epidemicos. In primis autem dira lues dysentericæ subsequenti ætate ingentem hominum stragem faciebat. Simile contagium contigit anno decimo quinto huius sæculi, ubi tempore hyemali etiam frigus insigniter intendebatur. Omnes vero Philosophi & Medici, qui de frigore hyemis anni noni huius sæculi scripserunt *, uno ore pronunciarunt, frigoris causam fuisse ventorum ex regionibus borealibus præsentiam atque constantiam. Assumimus hanc theoriam, & concedimus, frigoris intensissimi atque extraordinarii in regione nostra temperata causam fuisse ventorum borealium præsentiam atque constantiam, qua ex Zona frigidissima, regionibus borealibus, Nova Zembla, Suecia, Norwegia atque Russia ad

nos

nos pervenerint partes glaciales, & cum illis quoque effluvia nociva. Eo ipso enim anno pestis Poloniam atque Russiam devastabat. Hinc cum ventis advecta sunt in Germaniam effluvia quoque pestifera, quae subsequente aestate producebant enormem illam dysenteriam, per totam Germaniam observatam. Et quamvis effluvia maligna, ex disitis locis in Germaniam nostram delata, aliquantum fuerint mitigata, mutata, atque in vi & efficacia debilitata, tamen eorum activitas non plane ita fuit extincta. Hinc non quidem pestem, sed dysenteriam hoc deleterium principium producebat. Hanc assertionem credimus esse fundatam in experientia & ratione. Sicuti enim in chemicis laboribus salia acerrima & destructiva per additionem aliorum salium & corporum mutantur; sicuti variarum malignitas & benignitas differt: Ita & ipsa effluvia maligna differunt ratione activitatis. Satis ideo luculenter apparet, quod virulentiae & contagii dentur gradus, in quibus vel maiorem, vel minorem efficaciam exercent. Hinc non errabimus fortassis, si statuimus, quod morborum praesentium fermentum ex aliis locis per ventos boreales hac hyeme, satis algida, in aerem nostrum sit advectum. Percepimus enim hac hyeme notabilem frigoris gradum, qui etsi non accedat ad gradum frigoris anni noni, & decimi quinti, huius seculi, quod thermometra, quae Dn. Praeses conservat, & quibus etiam observationes anno nono institutae sunt, probarunt, nihilominus tamen negare non possumus, quod cum ventis borealibus ex aliis regionibus per aerem nostrum sint diffusa semina maligna, & ad nos allata. Notum enim est, quod Polonia & Russia, partim ob commercia cum Turcis, partim ob speciale vitae genus, rarissime liberentur a morbis contagiosis. Notum quoque est, quod praeterito anno, in primis mense Augusto, per Hollandiam & Germaniam inferiorem emanaverit certa malignitas. Adfuerunt enim ibi, praeter dysenteriam, febres continuas, febres quoque mixtas, sive intermittentes continuas, in quibus, durante paroxysmo, maculae & exanthemata apparuerunt, cum deliriis, convulsionibus,

lipothymiis, aliisque funestis symptomatibus. Hac febris maligna multi perierunt, in primis in urbe Harlem, Amstelodami, Hagæ comitis, & in Academia Lugdunensi.

* Vid. RAMAZZINI, in Orat. 10. *Operum suorum* p. 107. cui titulus est *Hyemalis constitutio algidissima* anno 1709. & Celeberrimi Da. Consilii aulici, WOLFFII *Dissertatio de Hyeme* 1709. Halae habita Resp. Remo.

Th. VIII.

Autumni præteriti clementia, ob defectum pluviarum, falia acria in aere neque sufficienter diluere, temperare, invertere, neque extinguere potuit. Perturbarunt ideo ea statum atque temperiem humorum vitalium, in primis in illis personis, quæ vel natura imbecilliores fuerunt, neque medicamentis pravorum humorum apparatus emendare didicerunt, Quam ob rem interna causa, & ad morbos dispositio sensim sensimque increvit. Hyemis postea subsequæ subitanea invasio, rigor atque constantia in illis præsertim, qui minus firma gaudebant valetudine, duplicem edidit effectum. Primo imminuit & sufflaminavit transpirationem, secundo attulit cum ventis borealibus ac nive sicca falia superflua nociva.

Th. IX.

Frigus, nostrum corpus ambiens, notabiliter imminuit transpirationem, dum ductus excretorios constringit, comprimit ac coarctat, fluidaque omnia fere coagulat*. Transpiratio hæc est vel universalis, sive externa, per poros cutis perpetuo instituenda, vel particularis atque interna, hoc est, illa, quæ per nares, fauces, tracheam, bronchia pulmonum, eorumque glandulas, a Celeberrimo MORGAGNI primùm detectas, absolvitur. Hæc interclusa transpiratio per se satis sufficiens fuit ad producendos varios hyemales morbos. Vita enim & sanitas consistit in debitis secretionibus, a massa sanguinea factis. Transpiratio omnium maxima est, optimaque ac puratio atque secretio, qua cessante, aut suppressa, congregantur haud contemnenda in machina humana impuratum vitia.

vitia. Hanc secretionem per *ἄσθλον διαπνοήν* tanti fecit SANC-
TORIVS**, ut haud dubitaverit, morborum si non omnium,
tamen maximorum origines ex ea lapsa deducere. Et sane
non omni fundamento hac destituitur sententia. Quando
enim perpendimus, observante id modo allegato autore,
per unicum illam excretionem plus evacuari, quam per reli-
quas omnes iunctim sumtas, facile potest iudicari, quan-
tum damni ex eius suppressione redundet. Non enim per
excretionem hanc partes aquosæ solum eliminantur, sed
& terrestres, oleosæ & salium ramenta. His itaque si exi-
tus denegetur, retentæque sordes illæ, ut ait Illustris Domi-
nus de BERGER***, atque collectæ in vasis, implent ea, san-
guinemque sedant atque inquinant, ac vires inimicas nocen-
tesque consequuntur, vel in ductibus impactæ viam humoribus
intercludunt, quæ claustra cum sanguis perrumpere non pos-
sit, in itu suo redituque impeditus, sistitur facile, ac valetudi-
ni vim infert. Quis itaque non videt, cohibitam ab aere fri-
gido insensibilem transpirationem producere posse unice &
per se, sepositis etiam omnibus aliis causis, febres omnis
generis, noxiorum humorum congestiones, sanguinis lentor-
es, coagulationes, inviscationes, stagnationes atque conse-
quenter tandem lethales inflammationes.

* Vid. Clariss. D. D. RIVINVM, in Dissert. de Frigoris damno.

** In integra sectione prima *Medicina staticæ*, & in primis Aphor. 58.

59. 60.

*** In *Physiologia medica*, pag. 181.

Th. X.

Morborum nostrorum hyemalium causam non conte-
mnendam constituerunt salia nociva, nive & ventis borea-
libus allata, & aeri nostro atmospherico admixta. Hæc æ-
rem intemperatum reddiderunt. Cum autem aeris columna
tempore hyemali brevior sit, quam æstivo, per consequens
maiori in copia hæc salia inbibimus, cum respiramus, corpusque
nostrum magis fere alterant, quam tempore æstivo, ubi tali-

B 3

densi-

densitas aeris non reperitur. Hæc salia hyberna Celeberrimus RAMMAZZINI * vocat nitrosa. Illustris LANCISIVS, magnum quondam rei medicæ fidus lucidum, appellat illa ** sub-acida. Quod vero hæc salia acidæ sint naturæ, nos docuit inter alia hac hyeme curiosa observatio. Paravit Dn. PRAESES circa initium huius anni aliquot thermometra, eaque tabulis allegavit vinculis, ex serico rubro compositis (*mit schmalen roth- seidenen Bande,*) nonnulla in museo suo conservavit, alia libero aeri exposuit, & quidem ad plagam septentrionalem domus suæ, tabulis tamen a radiis solaribus immunibus servatis semper. Quid factum est? Acidum septentrionale aereum spatio unius mensis mutavit vinculorum rubicundorum colorem, eumque extinxit, ita, ac si succo citri, vel alio acido esset destructus. Color vero vinculorum, quibus exornavit thermometra ea, quæ in museo erant suspensa, constanter perduravit. Hæc observatio manifeste satis confirmat, aerem tempore hyemali in hypocaustis esse salubriorem, & a salibus acidis magis immunem, quam aer frigidus externus, & sibi relinquitur existit.

* In *Ephemeridibus Barometricis*, Operum pag. 371. sive *controversis de Motu mercurii in tubo Torricelliano*, quas habuit cum B. nostro SCHELHAMMERO, Illustri SCHROEKIO & REYHERO, Cl. quondam Prof. Kilon. & alibi.

** Vid. eius Oper. Tom. I. pag. 125. & seq. ubi Historiam Romanæ Epidemiac hyemis 1709. recenset.

Th. XI.

Viz, per quas effluvia in aere nociva corpus nostrum ingrediuntur, quatuor dantur, & quidem 1.) pori cutis. Sicuti enim per cutis poros effluvia medicamentorum, v. gr. epithematum, linimentorum, suffituum, &c. penetrant ad interiora: Ita simili modo aeris particula in corpus nostrum se se insinuare valent, in primis cum huius moleculæ neque fluiditate, neque subtilitate medicamentosis cedunt. Etenim extrema vasorum oscula, summam cutem perreptantia, pervia sunt,

sunt, & ita fabricata, ut per ea irruere materia subtilis valeat, quæ deinceps diversimode fluidorum nostrorum massam mutare potest. Hoc agnovit HIPPOCRATES**, qui corpus nostrum in & exspirabile vocat. Si itaque, uti antea indicavimus, salia nitrosa, rigida, subacida, subtilissima, & iusto maiori copia in aere atmosphærico existentia, per poros cutis interiora versus migrant, sane nervos afficiunt, eosque corrugant, ac frigoris sensum inducunt. Secunda & tertia via sunt capitis foramina, narium nempe atque aurium. Si itaque, teste experientia, homo reficitur ab effluviis balsamicis & fragrantibus, analepticis, in aere existentibus, laeditur sane ille quoque ab effluviis ingratissimis, quæ cerebri & nervorum propagines moleste afficiunt. Nam effluvia omnia vel per nares ad nervos olfactorios & ad cerebrum penetrant, vel per meatum auditorium, per foramen tympani, per tubam Eustachii, cavitates aurium internas, concham, labyrinthum, nervosque acusticos deferuntur, atque in cerebro vires suas exercent.** Nemini vero de aditu effluvi-
viorum per aures ad cerebrum dubium manebit, qui agnovit anatomicam harum partium structuram. Et insuper observamus in praxi febrium malignarum, & in specie observavimus in hac epidemia auditus imminutionem & plane extinctionem per salutarem crisin, evidentissimo indicio, quod materia morbifica, caput afficiens, separata sit per aures a massa sanguinea***. Quarta via est os, eiusque cavitas, larynx, pharynx, pulmones atque ventriculus. Hæc sane via est præcipua, quia omnia effluvia cum saliva, utpotè primo alimentorum menstruo, liberrime permiscuntur, facile deglutiantur, & ad ventriculum deportata, per totum corpus diffunduntur. Cum aer intrat pulmones, effluvia nociva sese non tantum insinuant glandulis asperæ arteriæ & bronchiorum, sed & si cuti aer traiectione quadam per poros vasculorum minimorum pulmonalium sanguini admiscetur, ita simili modo effluvia, cum grata, tum ingrata, eandem viam inveniunt. Et quod hoc verum sit, probant observationes phthysicorum, qui

qui quando tempore verno in pinetis vivunt, ab effluviis balsamicis resinosis resecti, hoc remedio mediante a morbo liberantur. Contra vero navigantes ab aere falso marino in scorbutum incidunt.

* Libro VI. Epidemicorum, Sectione VI. ubi inquit: *Carnes atravices sunt & ex ventre, & extrinsecus. Indicio est sensus ipse, quod exspirabile ac inspirabile est totum corpus.*

** Hoc testatur HIPPOCRATES, Libro de Morbo sacro, Text. XVII. ubi inquit: *Et propterea iudico, cerebrum vim plurimam in homine habere. Hoc enim est nobis eorum, quae ab aere fiunt, interpret, si sanum fuerit. Sapientiam autem ipsi exhibet aer. Oculi vero & aures & lingua & manus & pedes, quales cerebrum statuit ac cognoscit, talia subministrant. Sapientia enim toti corpori consistit, prout aere participavit. Ergo vocavit cerebrum aeris primum interpretem, & statuit, quod effluvia pro diverso habitu cerebrum afficiant.*

*** Vid. Celeber. VALSALVAM, Libro de Aere humana, pag. 107.

Th. XII.

Nunc nobis probandum venit, quod supra recensitae causae contagium, nempe frigus & salia subacida nitrosa febrem praestiterint, & quod ab illis lentor, coagulatio & inviscatio sanguinis & lymphae sit producta, ac per consequens omnia phaenomena, quae in epidemia nostra apparuerunt. Ex physiologicis notum est, sanitatem consistere primario in libera sanguinis circulatione, instituta per machinam cordis, quae in pulsu contrahitur ad instar torcularis. Constricta haec machina contentum in suis cavitatibus sanguinem pellit in arteriam pulmonalem, magnam & coronarias. Ex truncis arteriarum maioribus porro sanguis proferat ad ramos arteriosos minores & minimos. Minimi arteriarum ramuli, corpus nostrum perreptantes, in varios arcus diuersae aperturae incurvantur, cum quibus venarum radices immediate cohaerent, unumque tubulum continuatum constituunt. Arcus arteriosi subtilitate atque angustia differunt. Ergo etiam sanguis, qui per hos tubulos movetur, subtilitate & fluiditate differre debet. Quidquid tamen sit, sanguis in statu naturali tam subtilis & fluidus esse debet,

ut

ut per omnem anastomofin vasorum absque omni impedimento permeare valeat. Sanguinem, vel massam sanguineam vocamus fluidum illud aggregatum, ex diversis particulis mixtum, quod per arterias ad venas movetur. Huius fluidi elementa praecipua sunt globuli obscuro, sive purpura sanguinis, & lymphæ pellucida, aquoso-mucilaginosa, quibus addunt nonnulli fibrillulas, sive lanuginem, aut crassamentum*. Hæc elementa sanguinis omnia sunt coagulabilia, & coagulantur, atque in lentorem mutantur. Quando vero hoc fit, massa sanguinea amplius ad liberrimum exercendum circulum minus apta existit. Coagulat autem ab omnibus recensitis causis, a frigore, & a salibus acidis. Quod frigus sit causa coagulationis liquidorum, nemo sane erit, qui hoc neget. De acidis abunde probant experimenta. Etenim si purpureo sanguinis principio acidum quoddam, v. g. minerale, admiscetur, illud statim obscuratur, & in nigredinem coagulat. Si lymphæ aquoso-mucilaginosa pellucida acidum quoddam affunditur, quoque mutatur, & coagulat in album quoddam crassamentum. Id quod etiam in albumine ovi, & humore crystallino oculo- rum constanti observatione confirmatur**.

* Videatur GVILIELMINI in *Oper. in specie in Tractatu de Natura & constitutione sanguinis*, pag. 32. Thes. 50

LISTERVS de *Humoribus*, pag. 245.

BIDLOOVS in *Dissert. Anar. Physiol.* N. III. Th. 98. & 100.

Illustris Dn. de BERGER in *Physiologia*, pag. 133.

Lanuginis sanguinis existentiam probavit Dn. PRAESES, in *Elementis Anthropologicis*, Cap. X. pag. 65. & Dn. RVYSCHIVS, venerabilis ille senex & Anatomicus, item celeberrimi ALBINI, Leidenfis & Ultraiectinus, ex hac sanguinis lanugine prepararunt membranas & chartas tenuissimas, cum charta angusta exacte convenientes.

** Vid. Dn. PRAESIDIS *Elementa Philosophiæ naturalis*, Part. I. Cap. XIV. pag. 88.

Th. XIII.

Hiscæ itaque expositis, facile apparebit omnium phaenomenorum productionis ratio. Si enim quaeritur, unde in

C

prin-

principio morbi, vel tempore invasionis nostræ epidemix, nata sit tristitia, morositas & hilaritatis imminutio? respondemus, partim a sanguinis lentore, partim a spirituum fixatione & ligatione. Omnis enim febris oritur, si massa sanguinea fluiditatem suam naturalem deponit, lenta & viscosa redditur, vel aliquo modo coagulatur. Lentor sanguinis etiam lentorem spirituum producit, imo, quod notabile est, salia acida maligna simul spiritus animales figunt, & tristitiæ gradum augent, haud secus, ac si spiritus urinosus in chemia ab acido figitur, quod exemplum verissimum & certissimum est. Similem tristitiam annotamus in melancholicis, qui, sicuti omnes præstici uno ore fatentur, a sanguinis lentore, & spirituum fixitate melancholici redditi sunt. Torpor & lassitudo, gravitas membrorum, pandiculatio & oscitatio simili modo a sanguinis lentore & spirituum fixitate proficiuntur. Dum enim sanguis viscosus per musculos libere non movetur, gravitatis & lassitudinis sensus in nobis excitatur. Similis lassitudo contingit in mensibus obstructis, etiam a sanguine viscoso producta. Quo maior vero est lassitudinis gradus, eo maior semper deprehenditur malignitatis vis, nervos primario occupans. Hæc regula universalissima est practica. Horripilatio & horror, quem febricitantes sentiunt in lecto & hypocausto calido, lentori sanguinis tribuenda. Etenim si sanguis crassus per arteriosos arcus superiores & minimos tubcutaneos non movetur, sed modo per inferiores transit, nervi subcutanei calore suo debito destituuntur. Ergo necessario frigoris sensus excitatur. Veritatem huius assertionis confirmat simul aliud coniunctum phaenomenon, nempe pallor faciei, livor unguium & labiorum. Cuticula nostra est pellucida. Hinc quando sanguis purpura deferretur ad vasa minima subcutanea, immediate sub epidermide sita, facies rubet, & florida est: Si vero purpura sanguinis propter crassiciem arcus minimos arteriosos non pervadit, lymphæ tantummodo pertransit, hinc pallor. Similis pallor cernitur in melancholici

cis

cis. & obstructione mensium. sive chlorosi, laborantibus. Calor, vel æstus febrilis, pulsus auctus, & ea, quæ horripilatione finita in apicum producuntur, sanguinis tenacitati originem debent, vel ab eius lentore proficiscuntur. Supponimus nempe, durante frigore febrili sanguinem non moveri per vasa subcutanea. Ergo necessario magis interiora versus reprimitur. Compressus vero sanguis vi suæ elasticitatis postea in calore subsequente se magis magisque expandit, & aucto motu lentorem, tenacitatem, viscositatem atque coagulationem resolvere tentat. Sequuntur ideo interdum vel sudores critici salutare, si pori aperiuntur, atque tubuli, in quibus lenta massa sanguinea resolvitur, vel vasa rumpuntur, & sunt hæmorrhagiæ criticae, in quibus superfluous sanguis evacuatur resolutio deinceps residuo, vel alia organa irritantur, in quibus critica evacuationes causarum morbificarum suscipiuntur, ut vomitus, diarrhoea, &c. Dolor capitis, dorsi & oculorum etiam effectus sunt lentoris sanguinis, qui dum per vasa cerebri movetur, ubique libere permeare non potest. Obstruuntur ideo hinc inde quædam vasa subtilissima, obstruuntur quoque vasa Hoviana, sive propagines arteriæ carotidis internæ, ad bulbi oculorum partem internam tendentes. Hinc dolor in oculis percipitur, dum nervi a sanguine stagnante premuntur. Quo vehementior vero in febribus est dolor capitis, eo vehementior erit febris, & eo maior gradus lentoris sanguinis, atque malignitatis, caput occupantis. Huius assertionis veritatem confirmat inter alia capillorum profusivum, quod in illis contingit, qui vim & vehementiam febris superarunt. Etenim obstructi bulbuli glandularum, ex quibus capilli excrescunt, privantur debito nutrimento. Ideo gramen capillorum, quod in animalibus excrescit, exarescit, propter malignitatis destructivæ præsentiam. Novum vero deinceps ex bulbulis, non penitus destructis, excrescit. In luc vœnera vero hoc non fit. Nam ibi profusivum capillorum contingens constantem calvitiam post se relinquit ob plênari-

ambulorum destructionem. Quando sanguis coagulatus & lentus per vasa minima arteriarum coronariarum cordis ac auricularum, item pulmonum, bronchiorum, intercostalium & diaphragmatis libere non transit, fiunt anxietates cordis & præcordiorum. Si sanguis stagnat in glandulis subcutaneis, oriuntur exanthemata. Si in glandulis colli, salivalibus, musclicis laryngis atque pharyngis sanguis subsistit, fit angina, eiusque species. Si sanguis viscosus libere non procedit per vasa minima finuum mucosorum tunicae narium pituitariae Schneiderianae, nares obstruuntur. Si denique ab obstructis vasculis cerebri atque meningum oritur inflammatio*, contingit delirium phreniticum, sequuntur convulsiones, affectus soporosi, lethargici, lipothymia & syncope. Nam eiusmodi vasorum minimorum sanguiferorum capitis obstructions nervos blane comprimunt & obstruunt, & ita fluidi nervei & sanguinis circuitum plane interceptiunt, vel nervos atque meninges irritant, quibus irregulariter & spasmodice contractis fiunt convulsiones, & epilepsia. Unde merito hæc indicata symptomata in hoc morbo fuerunt lethalia. Coronidis loco ad confirmandam nostram sententiam, de coagulo sanguinis atque humorum in morbis epidemicis malignis, licitum erit adducere exemplam tumorum pedum oedematosorum, quos omnes practici observant, & multoties vidit Dn. PRAESES finitis illis morbis, v. gr. dysenteria, variolis, morbillis, febribus continuis atque intermittentibus. Hic tumor pedum, in fine morborum contingens, sane ad oculos ostendit, quod lymphæ retrograda, atque a sanguine in extremis vasculis & appendicibus arteriosis secreta, amiserit suam debitam fluiditatem, & a malignitate in aliquam viscositatem mutata sit, quia libere per glandulas percolantes permeare non valet.

* Legi meretur erudita Dissertatio Celeberrimi B. RIVINI de Coagulatione humorum, eiusque in corpore humano effectu, ubi Th. 21. expresse inquit, frequentius coagulationem præcedere, quando inflammatio sequitur.

Th. XIV.

Th. XIV.

Expositis itaque illis, quæ ad theoriam thematis nostri pertinent, iam progressum faciamus ad curam, sive methodum medendi, quæ est vel præservativa, vel curativa. In morbis epidemicis omnium omnino hominum vota eo diriguntur, ut a contagio immunes esse valeant. Desiderant ideo a Medicis præservantia remedia, utpote malignitatis averruncos, atque tuta præsidia, quæ ad quatuor genera referri possunt. Sunt enim vel amuleta, vel suffitus, vel masticatoria & errhina, vel medicamenta interne danda. Amuletorum usum multi derident, eumque plane damnant. Veruntamen publice profitentur vel suam ignorantiam, vel pertinaciam. Dudum enim BOYLEVS, illustris ille Physicus, passim in suis operibus, demonstravit, dari in omnibus corporibus certam atmosphæram, hoc est, omnia corpora, etiam densissima, emittere effluvia, quæ constanter aerem intrant. Si itaque eiusmodi amuleta in usum vocantur, quæ effluvia possident & dant balsamica, quibus mediantibus malignitas destructiva in aere corrigitur, non video rationem, quare eorum usus sit interdicendus & vilipendendus. Nos quidem non commendamus superstitiosa, neque spurca & turpia, neque periculosa, qualia sunt sigilla planetarum atque Zodiaci, Zetexton Helmontii, quod nihil aliud est, quam massa verminum quam reiecit per vomitum bufo horrendum illud animal, neque arsenicum & artefactum, illud, quod ex eo paratur & magnes arsenicalis dicitur, sed laudamus tuta, naturalia, certis viribus a Divino Numine instructa, qualia sunt radix colchici atque plantaginis, non tantum ab Illustri quoridam, nunc B. WEDELIO nostro, sed & antiquis Medicis, commendata. Quo pertinet camphora, crocus, zedoaria, &c. Suffitus revera aerem contagiosum, atque malignis effluviis imprægnatum, corrigit. Omne enim id, quod in fumum transmutatur, resolvitur in oleum, spiritus & sal. Hinc hæc principia bal-

famica, nocivum, in aere existens, invertunt, & damnosam eius activitatem infringunt. Hæc nostra sententia probatur experimento illo notissimo resinæ benzoës, quæ quando fevi igne tractatur, in flores salinos splendentes transformatur. Dum vero unum sal alterum invertit, temperat & mutat, sequitur certe, quod & salia maligna aerea, durante epidemia, mutantur per salia, olea atque spiritus fragrantés suffituum, & quod ita eorum vis necessario debilitetur. Non commendamus vero fœtida & nauseosa, v. gr. rusticorum nostrorum resinam pini, a formicis collectam, quam vocant *Ameisen-Weyrauch*; non commendamus fœtorem hirci: Sed laudamus potius olibanum, mastichen, gummi animæ, tacamahacæ, benzoën, storacem calamitam, corticem thymiamidis, iuniperi lignum, & baccas, ac alia, quæ in officinis prostant, ut pulveres pro suffitu, massas ad fornacem, candelas fumantes. Laudo morem Catholicorum, qui constanter in templis per suffitus fragrantiam excitant, & fœtorem, cum tot hominibus adlarum, extinguunt. Profecto non ita demones & spectra profligare volunt, sed modo conservare sanitatem, & tutum reddere hominum publicum conventum, publicamque concionem. Damno contra nostratium consuetudinem, qui defunctos, fœtis coronatos, & pretiose vestimentis exornatos, imo tibialibus indutos, publice in templis exponunt. Si mortui sunt morbo quodam maligno, quaeso quid aliter praestant, quam malignitatis propagationem ulteriorem? Masticatoria sunt illa medicamenta, quæ masticantur, posteaque in ore per aliquod tempus detinentur. Illa quoque bebebunt esse balsamica, fragrantia, sale quodam volatili aromatico copioso repleta, qualia sunt cubebæ, cardamomum, radix angelicæ, zedoariæ, calami aromatici, cassinariis, cortices citri, culilaban, cinnamomi, aurantiorum, caryophylli aromatici & anthophylli, costus verus, & reliqua, his similia, quorum irgentem numerum suppeditat materia medica. Hæc masticatoria, in ore detent-

detenta, aerem, nociuis effluviis refertum, corrigunt, expu-
tionem promovent, dum nervos & glandulas suaviter irri-
tant, atque ita nulla malignitas sese cum primo alimentorum
menstruo, saliva puto, permiscere, atque ad ventriculum mi-
grare potest. Masticatoriis merito adsocianda sunt errhina,
sive remedia, naribus applicanda, fragrantia atque balsami-
ca. Sunt quidem nonnulli, qui statuunt, sicuti hoc iam an-
tea dictum fuit, aerem non simpliciter esse contagiosum, sed
per accidens, quando nempe nauseosus eius fetor aniam
horrori praebet, quidquid tamen sit, concedunt, aeris fet-
orem esse corrigendum per fragrantia. Iam vero notum
est, quod omnes, morbis epidemicis correpti, notabilem at-
que ingratum de se diffundant fetorem. Qui hoc non cre-
dere vult, visitet velim infantes variolosos, sane intolerabi-
lem ibi observabit fetorem, corruptionis atque putredinis
indicem. Qui ideo & remediis errhinis, fragrantibus, na-
res ab effluviis malignis immunes praestare studet, non errat.
Excogitarunt ideo maiores nostri poma ambrata, quorum
usus viget adhuc in Italia, item olim gestare solebant glo-
bulos excavatos, ex ligno juniperino paratos, spongia & oleo
angelicæ, ruta, citri repletos, quale est oleum antiloimicum
Hennisii. Nonne in hunc usque diem vesperionibus datur
pomum citri, vel ramulus roris marini? Sane ex nulla alia
ratione hoc fit, quam ut fetor cadaverosus corrigatur. Opti-
ma errhina, & iam dudum usitata, sunt balsama solida, v. g.
Zellense, B. Scherzeri Lipsiensis, Iesuitarum, utpote fra-
grantissimum, quinta essentia melissæ, quam arcana metho-
do preparare solent Parisini Capucini, balsamum vitæ Illu-
stris HOFFMANNI Hallensis, Dn. D. SNELLII, D. PRAES. sa-
lia volatilia oleosa concentrata & fragrantissima. Ea, quæ
intus danda sunt in morbis epidemicis praeservandi sine, re-
media quoque sunt balsamica. Tamdiu enim sanus quis
dici potest, quamdiu principia corporis a corruptio-
ne immunia persistunt. Hoc praestant illa ita dicta antipu-
tredino.

tredinosa, quo referri potest notissimum illud elixirium proprietatis, vel simplex, vel magis compositum, additis nempe helenio, angelica, costo, mace, cinnamomo, ruta atque salvia: Salvia cum ruta faciunt tibi pocula tuta. Præstat hoc balsamum vitæ D. PRAES, ex selectissimis balsamicis compositum, confortans summum. Nam 2) in omnibus morbis epidemicis, imo peste ipsa, omnibus modis conservandæ sunt vires, sive hoc fiat per cibos, sive per medicamenta analeptica. Quo vero robur spirituum augeatur, commendarunt olim Lacedæmoniensès in epidemiis musicam, ad homines hilares reddendos, & ad advertendam tristitiam. Porro præpararunt maiores nostri atque propinarunt in eiusmodi morbis tot species confortantes, latificantes & liberantes, quo referri possunt species pro morsulis Imperatoris, de hyacintho, confectio alkermes, aqua carbunculi aurea. Magnus noster CRATO, tritum Imperatorum Medicus, præ omnibus aliis medicamentis laudat in epidemiis, & peste ipsa, essentiam ambre, cum spiritu vini malvatico paratam, quo & pertinent species diambræ, diamoschi, & de margaritis veterum, &c.

Th. XV.

In methodo curativa nostræ epidemiæ semper consideravimus 1) causas, malignitatem & salia corrosiva acidæ naturæ. 2) Huius causæ productum, sanguinem nempe, a frigore & malignitate coagulatum. 3) Symptomata connexa. Principii maligni corrosivitas etiam finitis morbis sese manifestavit per capillorum profluvium, quale quid contingit in morbis venericis. Iam vero certum est, causam morborum venericorum consistere in acido, extreme corrosivo, consentiente Celeberrimo Medico Pedemontano, IACOBO VERCELLONIO. * Ergo etiam non erravimus, si ad causam morborum epidemicorum nostrorum extinguendam in usum vocavimus antacida. Dic nobis, B. L. quare excogitarint præ-

cici

ctici in morbis malignis pulverem Pannonicum, bezoardicum Sennerti, Wedelii, Anglicanum, &c. quare in usum vocarint lapides bezoardicos, orientales & occidentales, de Coromandel, imo artefactos, ut de Goa, globulos de Kent? quare dentur lapides cancrorum, eorumque apices, quare cornu cervi ustum & philosophicum, aliaque duriora animalium corpora, diversimode preparata, purificata & calcinata? quare praescribantur, & in usum vocentur tot genera antimonii diaphoretici, ac bezoardici mineralis? Sane eum in finem, ut sint antacida, acidumque volatile malignum in se recipiant, absorbeant, invertant, eiusque activitatem infringant. Notabile est, quod ex una libra antimonii plus quam una libra antimonii diaphoretici impetretur, unde vero hoc? Dico inde esse, quod cum antimonio in calcinatione iungitur terra nitri fixa, & sal quoddam fixum alcalicum nitri, quod nulla aquae affusione ab antimonio diaphoretico separari potest. Hocce ab omnibus laudatum in morbis malignis remedium ideo agit, ut antacidum, omnes eius partes absorbeant, ut pars mercurialis fixata, terra atque sal alcali. Ipse BARBETTE & DIMERBROCKIUS aliique in morbis pestiferis, mitioribus & fortioribus, salia dederunt fixa, felicia cum successu, ut cardui benedicti, scordii, ruta. Dn. PRAESES multoties solis pulveribus & calcibus animalium pauperes feliciter a morbis malignis liberavit. Acidum hocce malignum etiam extinguitur, si omnia alia potulenta fermentata remouentur, & modo temperata conceduntur, quo permittent aqua simplex, potus Thee, aqua, cum pane tosto, & flavedine citri decocta. Decoctum hordei cum cornu cervi & scorzonera omnium optimum est, quoniam viscositas mucilaginosa vegetabilis, & gelatinosa animalis salia corrosiva obtundit atque involvit, & ita corpus nostrum ab eorum activitate immune reddit. Sane novimus exempla pauperum, hac epidemia correptorum, delirantiumque; qui propter inopiam pauperum, vel nihil fere alimentorum assumerunt, simulque nihil ni-

D

fi

fi aquam fontanam delibarunt, & tamen evaserunt felicissime, quia temperarunt constanter per potum aquæ dulcis massam sanguineam. Ii contra, qui laute vivunt, citius pereunt, secundum antiquum proverbium medicum: Corpora impura quo magis nutriuntur, eo magis læduntur. Ad resolvendum sanguinem, a malignitate & frigore coagulatum, profuerunt sudorifera bezoardica, volatilia, media & fixa. In omnibus morbis epidemicis, eorumque principio, febriumque malignarum primo impetu tutissime dari possunt bezoardica volatilia, nimirum si calor internus nondum increvit, qualia sunt salia volatilia, remedia omnium optima & penetrantissima, ut spiritus cornu cervi, eboris, sanguinis, salis ammoniaci, sal volatile tartari, sal volatile oleosum Sylvii, spiritus bezoardicus Busfii, quæ potenter resolvunt, & malignitatem simul expellunt. Sunt quidam, qui bezoardica damnant, eaque calefacientia vocant, omniaque volatilia remedia reiiciunt. Veruntamen eorum argumenta dudum sunt destructa & antiquissimus probatissimusque usus solius spiritus cornu cervi simul omnes contradicentes refutavit. Qui ulteriorem huius rei explanationem desiderat, evolvere debet Kunckelium **, qui salia urinosa, tanquam specifica, in morbis malignis commendat. In progressu autem morbi propinavimus media & fixa. Media bezoardica commode dici possunt anti-putredinosa, quia corruptionibus humorum resistunt. Corruptionem vero sanguinis efficit ipsa malignitas destructiva. Media eiusmodi bezoardica sunt Tincturæ ita dictæ bezoardicæ, inprimis Tinctura bezoardica essentificata Wedesii, Essentia alexipharmaca Stahlî, myrrhæ, theriacalis balsamica, serpentariæ virginianæ composita Dn. PRAES. & alia huius comatis. Fixa sunt pulveres bezoardici ex radice contraieræ, terra lemnia, succino præparato, cornu cervi philosophico & usto, unicornu fossili, corallîs, lapidibus bezoardicis, cancrorum, antimonio diaphoretico, & hisce simili-

bus

bus parati. In symptomatibus connexis ea dedimus, quæ circumstanciarum ratio postulavit. Sic 1.) in virium debilitate suffecerunt bezoardica. Etenim, uti antea dictum fuit, vires in morbis malignis non deficiunt revera, sed potius supprimuntur, hoc est, ligantur. Demta malignitate, vires a compedibus iterum liberantur, & sui iuris fiunt. Hinc si malignitas in principio per volatilia bezoardica expellitur, & per media atque fixa deinceps inuertitur, alteratur atque extinguitur, amplius agere non potest in massam spirituum atque sanguinis. Quod vero in febribus adsit causa materialis, sive malignitas, quæ a massa sanguinea separatur, inter alia ad oculum ostendit urinæ præcipitatio, tanquam bonum signum, præcipitatum vero urinæ, nihil aliud est quam causa morbifica, a massa sanguinea separata. Si malignitas intime cum sanguine coniungitur, urina deprehenditur intense ruffa, pessimo signo. Si malignitas nervos occupat, atque se in fluidum nerveum insinuavit, nulla in urina deprehenditur mutatio, & urina excernitur, urinæ fanissimi hominis similis. Hoc agnoverunt dudum maiores nostri, hincque dixerunt, quod in malignis urina sit bona, pulfus bonus, interim tamen aeger intereat. Hæc malignitas si agit in pulveres bezoardicos & alcalinos propinatos, ab illis quasi absorbetur, illosque dissolvit, & cum illis iuncta, amplius in sanguinem non agit, a massa sanguinea separatur, ac tandem, cum sudore & urina, excernitur. Sudoris enim & urinæ una eademque est materia. 2.) In doloribus capitis, præter iam laudata, applicavimus epithemata, ex summatibus rutæ, absinthii, anethi, herba verbenæ, betonicæ, rorismarini, basilic. floribus sambuci, baccis lauri iuniperi, cum mica panis domestici mixta, dedimus quoque linimenta spirituosâ, ex aqua apoplectica, Anhaltina, spiritu matricali, item naribus applicavimus sæpius salia volatilia simplicia & oleosa, fragrantia & fœtida, v. gr. in sequiori sexu cum oleo pulegii, succini, castoreo iuncta. Hæc non

D 2

tantum

tantum referarunt narium obstructions, sed penetrarunt per nervos olfactorios ad ipsum cerebrum ibique natas obstructions referarunt. Etenim dolores omnes fere ab obstructione primario originem trahere, nemo fortassis negabit.

3.) In anxietatibus præcordiorum applicavimus epithemata ad cor & pulsus, ex speciebus officinalibus pro epithemate cordis, pulvere radicis contraiervæ, zedoariæ, galangæ, calami aromatici, croco & camphora, sacculos vero, ex his speciebus paratos. sæpius humectavimus mixtura quadam, ex aqua carbunculi aurea florum naphæ, & interdum tantillo acetii rosacei. Sunt nonnulli, qui in anxietate præcordii morborum malignorum commendant oleum scorpionum Matthioli, quo regio cordis, dorsum & pulsus inungi præcipiunt. Veruntamen hoc non tentavimus. Suffecerunt nobis antea laudata, utpote confortantia. Interdum quoque dedimus olea bezoardica Wedelii atque Heinsii. Ille solvit camphoram oleo amygdalorum dulcium, hic vero oleo citri destillato. Nos superaddidimus oleum camphoratum, ex India orientali allatum, destillatum ex radicibus cinnamomi. Qui eiusmodi olea, utpote linimenta in scrobiculo cordis, totaque cordis regione, in morbis malignis, loco olei scorpionum, applicabit, ille non errabit, nec contra methodum medendi peccabit.

4.) In lipothymiis atque vertigine dedimus interne succinata, & pulveres cinnabarinos, externe excitantia ex salibus volatilibus oleosis in primis constata.

5.) In vomitu & diarrhoea symptomata exoptatum præstiterunt effectum essentia theriacalis & balsamica, bolus adstringens & roborans ex pulvere styptico rubro Wed. stegnetico Gutmanni, electuario diascordio Fracastorii, theriaca Andromachi, therica coelesti, lapide bezoar orientali, de Goa, &c. cum aqua cinnamomi, carminativa Dornerehii, carbunculi aurea. Externe applicavimus balsama stomachica, ex oleo nucistæ expresso, oleo destillato menthæ, anthos, rutæ, salviæ, lavendulæ, zerræ indicæ, citr. bergamotto, item

item emplaftra ut de crufta panis, de baccis lauri, ftomachicum Myrsichti, maffichinum cum theriaca, oleo deftilato macis, & in fequiori fexu addidimus pinguedinem caftorii. Hifce in abdomine applicatis, fuper impofuimus fcapius calidos facculos ex radice zedoariae, galangae, calami aromatici, herba menthae, meliffa, origani, polii montani, floribus chamomillae Romanae, & feminibus 4. calidis. 6.) Ad fitim fiftendam, & calorem praeternaturalem imminendum dedimus decoctam hordei, cum cornu cervi & fcorzoneram, item nitrata in minori dofi, ut nitrum fulphuratum, ammoniacale, tabulatum, antimoniatum, vel per fe in potu, vel cum pulveribus bezoardicis & abforbentibus. 7.) In vigiliis & agrypnia in ufum vocavimus partim epithemata externa, partim nitrata interna, cum pulveribus, terris figillatis pinguibus, item opiata, crocata, maffam pillularum de cynogloffa, & in primis liquores anodynos minerales dulces, in quibus fimul infignis vis bezoardica eminet. Haec & nitrata dedimus quoque in delirio, quod preffo pede agrypniam ut plurimum fequitur. Circa tempora etiam interdum applicavimus mixturam, ex philonio Rom. requie Nicolai nucleis perficorum, camphora & croco. 9.) In convulfionibus experta atque probata fuerunt cinnabarina, pulveres epileptici, liquor cornu cervi fuccinatus, Tinctura fulphuris vitrioli anodyni, liquores anodyni minerales, in primis illi, qui ex vitriolo parantur. Hoc agnovit MINDERERVS ***, qui vitriolorum ufum bezoardicum in morbis malignis mirum quantum extollit. 10.) In affectibus foporofis, qui finitis deliriis in hac epidemia feffe manifeflarunt, praeter iam paffim laudata cephalica, adhibuimus excitantia, ex falibus volatilibus. 11.) In anginofis inflammationibus in ufum vocavimus mucilaginem feminis cydoniorum atque plantaginis, cum aqua plantaginis, florum cyani, borraginis, bugloffae atque rofarum parata, cum fyrupo mororum, rubi idaei, berberum, acetofitatis citri parumper mixta, modo ad gratiam.

Applicavimus cum Siphone etiam gargarismata, decocta nempe ex radice bistortæ, tormentillæ, symphiti, herba hedere terrestris, prunellæ, semper vivi, floribus malvæ arboreæ, ficus, filiqua dulci.

* In novissimo Scripto de Lue venerea, & pudendorum morbis, Capite IV. pag. 225.

** In Tractatu de Acido & urinoso sale, calido & frigido, p. m. 350.

*** Lib. de Pestilentia, p. 249.

Th. XVI.

Remedia chirurgica, venæ sectionem speciatim atque vesicatoria pro re nata quoque interdum in usum vocavimus. Venæ sectionem quod attinet, illa in morbis malignis non promiscue, sed provide & circumspecte est instituenda, nempe tantummodo in plethoricis, & ubi metus est inflammationis. Hanc cautelam salutarem in hac epidemia nos observavimus. Etenim per venæ sectionem non possumus educere malignitatem, in corpore existentem, quando vero suscipitur tempestive in plethoricis, tunc suum habet usum, quia sic sanguis residuus maiori libertate movetur, & maior etiam sit secretio per insensibilem transpirationem atque sudorem, in morbis epidemicis maxime necessaria. In hac secretionem vero eiicitur malignitas. Ergo prodest venæ sectio in eiusmodi subiectis, non quidem per se & immediate, sed per accidens potius & mediate. Qui vero promiscue in omnibus subiectis sanguinem per venæ sectionem educit, ille errat. Nam subiecta præter necessitatem debilitantur. In debilibus vero nulla fieri potest malignitatis a massa sanguinea separatio. Ergo absolute nocet venæ sectio. Simile quid statuendum de aliis remediis, quæ debilitant, uti sunt vomitoria, quæ ab imperitis interdum in primo impetu morborum malignorum promiscue propinantur. Si causa morbifica non in ventriculo existit, eorum usus inutilis est, imo plane nocivus. Si vero cruditates in ventriculo manifeste existunt, eorum usus salutaris est, quia e-

iectis

iectis per vomitoria illis cruditatibus, amplius impura massa ad sanguinem deferri non potest, nec malignitas ita augmenta capere. Veficatoria applicavimus vel excitandi sine in soporosis, vel in metu convulsionis atque delirii, imo etiam in illis, qui a deliriis & convulsionibus tentati erant. Et hoc quidem ex duplici intentione, 1.) quia excitant, & alium motum nervis atque spiritibus communicant, 2.) quia educunt, & quasi malignitatem evocant. Si secundum observationes Medicorum in peste a tempestive applicatis veficatoriis salutariter excitatur carbunculus in parte musculoſa, cum quo omnis malignitas pestifera educitur: Simili modo etiam malignitas mitior per veficatoriorum usum educi potest. Huius theoriae veritatem probo per observationes in variolarum inoculatione annotatas. Etenim si partes musculoſae manuum & pedum leviter vulnerantur, atque pure variolarum inunguntur, confluit ad has partes fere omnis malignitas, notabilis oritur inflammatio, & larga suppuratio, in reliquis vero corporis partibus plerumque modo aliquot apparent variola. Hisce filum abrumpo & Divino Numini gratias persolvo devotas pro concessis ad praesentem laborem exantlandum viribus.



Corollarii loco addere placuit eas relationes, quas
in novellis publicis legimus de epidemiis aliarum
regionum. Sunt vero sequentes :

De Londres le 14. Janvier. 1729.

On mande de Warwich, qu' il y règne une maladie
épidémique, qui emporte beaucoup de monde, & dont la
plûpart de ceux qui en font ataqués, meurent enragés.

Madrid den 22. Martii, 1729.


In dieser Stadt seynd den vergangenen Winter 14000. Per-
sonen gestorben, welches man der gehabten grossen Kälte, deren
man in diesem Lande nicht gewohnt ist, zuschreibet.

Paris den 4. April, 1729.

In Gavaudan regiert eine Kranckheit, welche mit Kopff-
Schmerzen anfängt. Diejenige Personen, so davon angegriffen
werden, sterben in Zeit von 3. Tagen, die aber, welchen man
Ader l'ißt, leben etliche Tage länger. Der Königl. Leib-Medicus,
Monsi. Helvetius, ist zwar dahin geschicket worden, um sich nach
der Art dieser Kranckheit zu erkundigen, und zugleich auch die
Arztneyen an die Hand zu geben, allein beydes trifft eben so we-
nig ein, als die Meinung verschiedener anderer Aertzten.

Londen den 9ten April, 1729.

Aus der Graffschafft Worcester und Gloucester vernimmt man,
daß daselbst eine gewisse Inflammation der Hülse sehr um sich greif-
fe, woran schon viele Leute gestorben.





01 A 6515

ULB Halle

3

002 932 091



W17







42 47

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
SISTENS
**HISTORIAM
MORBORVM HYEMIS
PRAETERITAE**

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO
GVILIELMO HEINRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE
VVESTPHALIAE, ET CETERA
AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE
VIRO MAGNIFICO
HERM. FRIDER. TEICHMEYERO

PHILOSOPHIAE AC MEDICINAE DOCTORE, ANATOMIAE, CHIRVRGIAE ET
BOTANICES PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, SERENISSIMI DVCS SAXO.
ISENACENSIS CONSILIARIO, CELSISSIMAE S. R. I. COMITIS DE HATZFELD ET
GLEICHEN ARCHIATRO, ET MEDICO PROVINCIALI, NEC NON ACA-
DEMIAE SCIENTIARVM BORVSSINAE SOCIO

PATRONO, PRAECEPTORE ET FAVTORE PIE COLENDO
PRO GRADV DOCTORALI

EIOVE ANNEXIS HONORIBVS, IVRIBVS ET PRIVILEGIIS
IN ARTE MEDICA